CELEBRIS
CONCIO
IN PVBLICO
SANCTAE INQVISITIONIS
ACTV CONIMBRICAE
HABITA.

AB ILLVSTRISSIMO D.D. ALFONSO à Castelbranco eiusdem Ciuitatis Episcopo Reũ^{MO} Arganili comite, &c.


Ex Lusitano in Latinum sermonem conuersa.





ROMAE,
Ex Typographia Titi & Pauli de Dianis. 1589.

Superiorum permissu.



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO SIXTO QVINTO PONTIFICI MAXIMO.



QVOTIES in Astrorum principem hunc, & mundi oculum Solem, qui non pulcherrimus ipse solum est, sed cæteris rebus omnibus pulchritudinis, decoris, luminis, ornamenti fons, & origo intueor, facile perspicio ad eius similitudinem inter mortales te versari hodie vnum P. Beatissime, & naturam naturæ eius quam simillimam referre. Quippe cum vt cuncta ille, quæ intuentium oculis afferre iucunditatem solent, venustate sua, ac vi ad eam venustatem euehit, & exornat, inq; medio quodammodo cæli residens, eiusdem lumina,

& præclarißimos stellarum ignes, lumine de suo fouet, & accedit: ita tu ad decora Christi sponsæ sanctißimæ Ecclesiæ administrationem euectus, & pietate, & doctrina, & verò venustißima sanctitate morum, non illustras solum & illuminas vniuersas eius partes, sed splendore tuo cæteros ex sacrosancto hoc & Hierarchico choro, præclaros & illustres Dei ministros mirifico quodam modo afficis atque reples, & pene diuinæ pulchritudinis, pulchritudine condecoras. Hac ex cogitatione factum est, vt cum præclarißimi viri Alfonsi Collimbriensis Episcopi ætate nostra doctißimi in manus meas concio, ab illo paulo ante in honestißimo doctorum hominũ cõuentu (quemadmodum sanctæ inquisitionis causa postulabat), & frequẽtißimo populo habita peruenerit: eam tibi tãquam expreßam ingenij illius imaginem & specimen doctrinæ offerre in animum duxerim, vt quæ dudum est eximio viro doctrina & meritis lux parta, ea lumine de tuo & illustrior, & pulchrior, & splendidior redderetur. Idq́; eo præstiti alacrius, quod factum ita iri arbitrabar, vt haberet Italia auspicijs præsertim tuis & ingenij singularis monumẽtum, & argumenta doctrinæ: Si vel sententiarum copiam, vel grauitatem earundem, vel in labefactãdis prauis & absurdis opinionibus industriam, & stabiliendis ve-

ris

ris diligentiam, vel incitandis ad honestatem animis vim, & deterrendis à sceleribus auctoritatem per requireret. Quæ tunc maximè eminebunt, & erunt cæteris conspicua, cum tu ea probaueris Pater sancte, tuq; ipse perinde ac olim ex linea Protogenes Apellis diligentiam, & ex Olympici stadij metatione, ac pedis modulo Herculei corporis magnitudinem Pytagoras ratiocinati sunt: ex perbreui vnius concionis documento, cætera agnosces ornamenta animi, eius Episcopi & tibi cum primis deditissimi, & Christianæ religionis studio, vltra etiam quam dici possit inflammati. Cuiusquidem vt hodie doctrinam, ita iam olim nobilitatem in antiquissima & illustrissima familia de Castelbrãco per multas imagines repetitam, honoribusq; qui solent meritis tribui, adultam, quum in pace consilio salutarem, tum in bello viribus, & egregiè factis opportunam, Lusitania nostra semper est experta: & illa ipsa multos quotidie profert maiorum suorum æmulos, nec ab illorum laude degeneres, tanquam arbor illa aureos subinde ramos proferens, cuius vno auulso non deficit alter aureus, & simili frondescit virga metallo. Quos summa cum omnium laude reticeo, dum tacitus præterire non possum Odoardum à Castelbrãco Illustrissimum Sabugali Comitem, Catholicæ Maiestatis Regij status fidelissi-

lißimum consiliarium, & maximum Regnorum Lusitaniæ (quem dicunt) Meirinium, quo vno familiæ splendor & gloria maximis & amplißimis locuples ornamentis facile perspicitur. Cæterum plus virtute, quam sanguine commendandus Alfonsus, cum eius doctrina (& quod caput est) pietas, spectatißimaq́; in verbi Dei prædicatione diligentia, & hæresum ac scelerum extirpatione cura peruigil, cum maxima ipsius gloria, & animorum vtilitate, & propagatione religionis semper constiterit. Accipies igitur munusculum hoc (meoquidem iudicio) summis huius ætatis ingenijs par, tua impar gloria, non tua tamen dignitate & humanitate (vt spero) indignum: vt prolatum modo in lucem publicam, tuo deinceps accensum & illuminatum lumine prælucere poßit Christianis Oratoribus & exẽplo doctrinæ & laude pietatis. Neq; vero quis mihi, aut vitio verterit, aut adscripserit negligentiæ quod alienos labores & vigilias nunc tibi primum offero: Facio enim quod quidam solẽt, qui cum sua vendere non possunt, aliena exponunt, vt per illa, quæ in omnium existimatione sunt, sua etiã in sermonem, famamq́; veniãt. Cum enim constituerim, & quædam alia mea, & in Malachiæ vaticiniũ explanationes propediem edere, non alienum ab existimatione mea videbatur, si eloquentißimi, pijßsimiq́;

simiq́;

ſimiq; viri opus præmitterem, tibiq; dedicarem. Vale P. Opt. & Beatiſs. & Deus te quem calamitoſiſsimis hiſce temporibus ad Eccleſiæ militantis gubernacula vocauit; ſoſpitem, incolumemq; in plurimos annos ſeruet, cum eximio Eccleſiæ ſanctæ bono, & bonorum omnium gratulatione.

Veſtræ Sanctitatis

Humilis ſeruus

Franciſcus Fernandez Galuanus

Doctor Theologus.

ACCEDITE AD DEVM, & illuminamini, & facies vestræ nō confundentur; iste pauper clamauit, & dominus exau diuit eum, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum.

Psalm. 33.





ÆC ex Dauidis Prophetæ trigesimó tertio sunt Psalmo, cuius est ad verbum sensus. Accedite ad Deum, viua & perfecta fide muniti, & in interioribus animæ oculis cælestis lux elucescet, quæ cæcitatis vestræ tenebras depellet, & Christum Iesum verum Mesiam in lege promissum, & humani generis liberatorē vobis ostendet; quærite eum puro corde, & à via veritatis, quæ in cælestem patriam ducit, non aberrabitis, neque per eam ambulasse vnquam vos pœnitebit: & discite à me vero pœnitētium magistro, exemplar enim & Idea illis ero, qui à peccatis resipiscere, & in meliorem frugē se se voluerint recipere. Ille enim sum, qui in discriminibus & extremis positus rerum angustijs, varijsq; inimicorum persecutionibus afflictus, ad Deum tanquam ad ciuitatem refugij, & tutißimum asylū

confugi, & cum clamarem ad eum, ab omnibus me eripuit periculis, & in calamitatibus meis ſemper mihi preſto fuit. Quæquidem in verborum ſerie illud maxime conſiderandum eſt, voluiſſe nos ante omnia prophetam admonere, vt deo inhærendo, ipſum vigilantiſsima cordis ſollicitudine quæramus, & in eum noſtræ ſpei anchorã ſecure, & cõfidẽter iaciamus; ſolus enim eſt, qui, vt D. Bernardus ait, fru-

L. 5. de cõſiderat. ad Eugenium.

" ſtra quæri nõ poteſt, nec ſine fructu inueniri. Quid enim ſi quærendo Deum terrena & caduca bona amiſerimus? profecto inueniemus cœleſtia. Quid ſi voluptates & inanes corporis delitias? profecto inueniemus animæ dulcia, & ſuauia oblectamẽta. Quid ſi omnium rerum chariſsimam vitam? certe vitam relinquimus breuem, miſerijs repletã, calamitatibus plenam, & quæ tãdem aliquando finem eſt habitura, pro qua æternam, impaſsibilem, & glorioſam procul dubio obtinebimus. Quamuis autem à catholica Eccleſia docti non eſſemus, in Chriſto vero Deo, & homine ſalutem noſtram ſitam & collocatam eſſe: in qua tamẽ de eius ſacratiſsimo latere procedente; & aqua purificata, & ſanguine ex eo profuſis, redempta, ita ſanæ fidei veritas infallibilis reperitur, vt nec aliunde quærẽda ſint veritatis argumenta; ita criminum medicamenta, ſalutariáque remedia omnibus patent, vt extra eam ſalus inueniri non poſsit,

Contra hæreſes libr. 3. ca. 4.

" ſed certiſsima animarum ruina: Siquidem non oportet, " (vt Irenæus ait) apud alios quærere veritatem, quam facile " eſt ab ipſa Eccleſia ſumere; cum Apoſtoli, quaſi in depoſito" rium diues, pleniſsimè in eam cõtulerint omnia, quæ ſunt " veritatis; vt omnis quicunque velit, ſumat ex ea potum vi" tæ. Hæc eſt enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fu" res ſunt & latrones. Quamuis, inquam, hoc nobis Eccleſia catholica nequaquam tradidiſſet, ſatis ſuperque Chriſti di

uinitas

uinitas nobis manifesta redderetur, ex eius, dum inter homines vixit, integritate; ex doctrinæ excellentia admirabili; ex legum, quas condidit, sanctitate; ex morum, quos docuit, probitate; quibus qui fuerint imbuti, quamuis antea flagitiosissimi extiterint peccatores, ita tamen denuo renouãtur, vt quasi in alteram transmutati naturam Angeli in terra, & homines cælestes appareant. Quæ perspiciens D. Chrysostomus, talé, inquit, vitam proposuit, tales apud „ nos leges condidit, & tales mores instituit, vt, qui his vten- „ tur, Angelicam mox naturam induant, & quãtum homini „ liceat Deo similes reddantur, etsi omnium hominum mali „ tiã excesserint. Cuius quidem doctrinæ ea est excellẽtia, & altitudo, quam (sicut Irænæus ait) nemo alius poterat enar- „ rare, nisi proprium ipsius Dei verbum, nullus enim alius, ni- „ si omnipotentis Dei filius altissima diuinæ Maiestatis arcana reuelare, nullus alius de his, quæ saluti æternę erant necessaria nos erudire, nullus alius pulchritudinẽ, & ornatũ, mirabilemq; Ecclesiæ ordinem componere; nullus alius fidei infallibilem veritatem super confessione Petri per omnes eius successores illibate conseruatam, tamquam super inexpugnabili firmissimaque petra, & firmamento in perpetuum duraturam poterat stabilire. Denique vt D. Augustinus fatetur, omnes conuincit, & obmutescere iure optimo facit, nomen Christianum, & catholicum ab Ecclesia, per tot ætatum transacta curricula vbiq; retentum; sola enim Christiana Ecclesia nomen Catholicæ inter tot grassantes hæreses, ita semper retinuit, & conseruauit, vt cum hæretici pro catholicis haberi voluissent, numquã tamen voti compotes sint effecti; quod quidem mysterio non vacat; cum enim de nostra Ecclesia loquũtur, eam vel inuiti catholicam coguntur nominare, vt à nostris, imo &

Ad Populũ Antiochenũ. hom. 11.

Lib. 4. de Incarnatione filij Dei.

Lib. contra Faustum.

 à suis

à ſuis audiri poſsint,& intelligi. Quare propter fidei indeficientem veritatem, quæ in ſola Eccleſia reperitur,D.Ioã. in Apocalypſi eam ſe vidiſſe teſtatur amictam ſole,& Lunã ſub pedibus eius. Namq; vt eleganter D. Gregorius explanat,ſancta Eccleſia quia ſempiterno lumine ſemper protegitur,quaſi ſole veſtitur: quia verò cuncta temporalia deſpicit, Lunam ſub pedibus premit. Nec verò potuerunt ſancti Patres, Eccleſiæ ſanctitatem amplius commendare, eiuſque amplitudinem maiori laudum cumulo celebrare, quam dum pari conſenſu affirmant ſanctiſsimam Virginẽ Dei matrem catholicæ Eccleſiæ abſolutiſsimam eſſe figuram,nõ in virginitate ſolùm;ſed etiam in ſacratiſsimo Virginei vteri fructu; Sed iam D. Ambroſ. audiamus.Bene de ſponſata eſt Virgo,quia in illa virginitas & coniugium cõmendabatur, Eccleſiæ eſt enim typus, quæ eſt immaculata,ſed nupta:concepit nos virgo de Spiritu,& parit nos virgo ſine gemitu;& ideo fortaſſe ſancta Maria ab alio eſt nupta,& ab alio repleta, quia ſingulæ Eccleſiæ ſpiritu quidẽ replentur & gratia;iunguntur tamen ad temporalis ſpeciẽ ſacerdotis. Quod ſi figura cæleſtibus Angelis purior eſt,& reliquis beatorũ ſpirituũ Hierarchijs ſanctitate præeminet, ac decore præfulget;quæ ſanctitas ei ineſſe dicẽda eſt, quæ in Virgine hac tãquã in lucidiſsimo virtutis ſpeculo repræſentatur & oſtẽditur? Quapropter D. Aug. hallucinari nos nõ patitur,ſed conſtanter aſſerit,quod non habebit Deũ Patrẽ,qui noluit habere Eccleſiam matrẽ,imo quantum quis amat Eccleſiam,tantum habet de Spiritu ſancto, nihil ei valebit,quod credidit, & fecit tanta bona, ſine ſponſa ſummi boni,quã adeo amauit,vt propter illam patrem reliquerit, & matrem.Nec mirandum eſt,id ſic à D.Auguſt. confirmari,cum D. Paulus Chriſtum vel ſemetipſum dereliquiſſe

Li.4.Mor. cap. 7.

Lib. 2. in B. Lucam.

Lib. de Symbolo.c. 4.& ſuper Ioan. Tract.36.

pro-

propter Ecclesiam affirmet, ait enim: Christus dilexit Ecclesiam & tradidit se ipsum pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, sed vt sit sancta & immaculata &c. Cæterum reliquit Christus patrem, non quia deseruit, & recessit à patre; sed quia hominibus non apparuit in ea forma, qua æqualis est patri; reliquit autem & matrem, relinquendo synagogã Iudæorum, de qua secundum carnem natus est, inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregauit. Hæc igitur sancta Ecclesia ex lana purissima vestem texuit Innocẽtissimo agno, qui pro peccatis generis humani occisus est ab origine mundi, vtpote, quia in omnibus antiquorum Patrum sacrificijs immolabatur, & in cuius virtute Deo erant grata, & accepta. Quæ igitur sunt ouium vestimenta, inquit Lyrinensis, nisi Prophetarum, & Apostolorũ eloquia, quæ illi Agno immaculato, qui tollit peccata mundi tamquam vellera quędam texuerũt. Diuinorum enim vatum, & sanctorum Ecclesiæ primatum, doctrina, nihil est aliud, quam quoddam vellus, & lana subtilissima, qua immaculatus ille Agnus à sponsa sua Ecclesia ornatissime indutus est. At vero Virgo mater, & sponsa, non solùm mysticam illam vestem inconsutilem, qua Christus Dominus, dum apud nos vixit, vtebatur, proprijs manibus confecit (vt ex antiqua patrum traditione accepimus) sed etiam eundem Agnum castis visceribus receptum propria humanitate in salutẽ totius mundi vestiuit. Ideoq; eleganter Epiphanius exclamat. O beata Ouis quæ Agnũ peperit Christum: iuuenca nunquam iugum experta, quæ vitulum genuit: fidei mensa intellectualis, quæ panem mundo suppeditauit. Certè diuina Ouis, quę agnũ nobis peperit, in cuius sanguine

Ephes. 5.

Cõtra hæresum nauitates. c. 36

Teste Euthymio super Ioannem.

De Laudib' Mariæ.

sanguine omnium nostrorum scelerum mundata est turpi tudo, certè sanctæ fidei mensa, ex qua vniuersum genus hominum mortifero serpẽtis veneno infectum, tum in sacrosancto altaris Sacramento, tum in nostræ salutis mysterijs panem accipit salutis. Aperi igitur (obsecro) sanctissima & clementissima Virgo, ea qua soles, pietate, obcæcatos horum hominum oculos, vt densissimas ignorantiæ suæ tenebras depellere, & præteritorum criminum grauitatem valeāt intueri; nobis verò eam impetra gratiam, cuius sancta Trinitas te benignam constituit dispensatricem, vt quidquid præsenti cõcione dixerimus, in Dei gloriam, in tuum honorẽ, in nostrarum animarũ salutem redundet: quā quidẽ facile obtinebimus, si pijs ad te precibus confugerimus.

AVE MARIA.

TAm perniciosum, & execrandũ scelus Idololatriæ & hæresis est, sic statui Reipublicæ Christianæ in spiritualis & ciuilis Monarchiæ administratione noxium, vt neq; Deus illud impunitũ soleat dimittere, neq; idipsum principes, qui paci & trãquillitati populorum studuerint, æquo animo ferre deceat: nihil est enim, quod ita publicã ciuium pacẽ offendat, morumq; integritatem corrumpat, & vel florentissimorũ regnorum statũ radicitus conuellat, quietem & tranquillitatem perturbet, quam hæreticos & idololatras impunes relinquere, quo possint libere mendacem & vanam idololatriæ superstitionem docere, vel aliqua vera, falsis permiscendo pestilentissimarum hæresum zizania seminare: vt indoctos & rudes homines facilius decipiendo in errorem inducant, & suorum dogmatum mortifera contagione inficiant. Id quod Hieremias Propheta clare expressit, cum dixit: In Prophetis Samariæ vidi fatuitatem, & in Prophetis Hierusalem vidi

simi-

similitudinem adulterantium, & iter mendacij, & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua, facti sunt mihi omnes, vt Sodoma, & habitatores eius quasi Gomorrha. Sanè in Prophetis Samariæ Idololatris fatuitatē reperit, omnium enim stultissimū est hominem mente & ratione præditum, ad imperium & gloriam natum, diuinæq; formæ speciem, regiæ virtutis indole referentem se coram simulachris abijcere, & propriæ dignitatis oblitum Idolorum vanitatibus inseruire: in Prophetis verò Hierusalem molitiam, & improbitatem; cum enim Deum cognoscerent, neque ad normam legis ab eo latæ vitam propriam instituebant, neque iuxta eam populo Dei viam veritatis ostendebant: quos merito adulterantium similitudinem habere dixit, quia pessimos mores & profligatam viuendi licentiam, sub pallio veræ religionis occultabant, vt sub ouina pelle lupi rapacitas securius delitesceret, & ideo iure optimo à Tertulliano, adulteri Euangelitores vocantur, quasi enim veritatis adulteri, & mendatij mariti, vias mendatij, & à cælesti disciplina alienas populum Dei docebant; quorum exemplo plerumq; solet contingere, vt in totius Reipublicæ perniciem, & exitium perditissimi quique homines nefarijs cupiditatibus efferuescentes, & varijs errorum tenebris obuoluti, à proposito non desistant, imo vero tenacius eidem adhærentes in eo ipso perseuerent; quo sanè maius nullum populo Dei inferri potest nocumentum. Cuius sceleris atrocitas, & Deo Opt. Max. inuisum & exosum flagitium non potuit melius declarari, quam cum Sodomorum, & Gomorrheorum iniquitatibus coæquatum est; vt etiam omnibus innotescat quam grauia, & acerba, eos expectent supplicia: vtpote qui fautores criminum, errorum semi-

natores, in Deum, & eos, qui in terris, loco eius, hominibus præsunt, infidi, pœnas ad mensuram pœnarum Sodomæ & Gomorrhæ debitam, iusta Dei æquissimi iudicis trutina distributas, atque irrogatas aliquando luent: atq; ita cum compertum sit præcipuam malorum partem, & exitiales calamitates, quæ regnis sæpe numero superueniũt, ab ipsis prouenire (sicut idem propheta docet, dum inquit, à prophetis Hierusalẽ egressa est pollutio super omnem terrã) merito Deus in Deuteronomio non solum vetuit, ne vlla his fides adhiberetur, licet aliqua palam ederẽt miracula; sed eosdem vltimo capitis supplitio plecti iussit; neq; hoc contẽtus, iterum eosdem, idest, in die Vniuersalis iuditij, vel particularis in vniuscuiusque morte seuerissime puniendos in lib. Exodi minatur, dũ dicit, ego autem indie vltionis visitabo & hoc peccatũ eorũ. Quamobrem doctores sancti hæreticos ventis inter se contrarijs merito cõparant, qui nauẽ Ecclesiæ in mari huius mũdi fluctuantẽ, iugi, & irrequieta agitatione iactare non cessant, eiusq; nauigationem pro viribus conantur impedire, ne ad prosperum salutis portum, tutumq; cœli refugium valeat peruenire; & ideo pax cum ipsis iniri, nec potest, nec debet. Nec vero dissimili ratione à Nicephoro. & Basilio vocantur fluctuum commotiones in varias formas decidentes, & spumæ, quas Beelphegor excitat cauda sua: & ita qui draco factus in cœlo, tertiam stellarum partem secum traxit, & vt in ima inferni detruderentur, ac præcipitarentur effecit, idem per ministros suos errorum virus euomere non desistit: vt dum ventorum vi, vndarumq; vertigine mare intumescit, quassatã pene nauim cogat naufragari. Sed tandem spumæ sunt, quæ sicũt scopulos percutiendo euanescũt, sic hæreticorum fraudes, dum Ecclesiam, quæ diuino

Cap. 13.

Cap. 13.

Niceph. lib. 10. Hist. Eccles. c. 4. & lib. 4. c. 5. & D. Basil. lib. de Spiritu sãcto, c. 30.

stabilita

stabilita est & fundata præsidio, oppugnant, in nihilũ redigãtur, necesse est. In his igitur vndarum motibus, sicut ait D. Basilius. Sic laborat, & defatigata est Ecclesia aduersariorum insultu, quemadmodum nauigium in medio mari, & alijs post alios vndarum fluctibus agitatur, atque ita dum ventorum impetu quatitur, in medio mari periclitari videtur, quæ quidem diuini numinis imperio fulta cũ sit, et si submergi nõ potest, nõ tamen sine aliqua sui iactura, & Christianæ reipub. detrimẽto cursum suum hinc, inde, iactata peragit: ad cuius tempestatis periculũ, teste D. Hieronymo. alludens Dauid Deum deprecabatur, ne se demergeret tempẽstas aquæ, nec absorberet profundum, nec vrgeret super se puteus os suum. Sed tamen quo magis hæresum atrox tempestas furit, eo amplius omnes quot quot sana fides illustrat, Ecclesiæ saluti & incolumitati sine vllo personarum discrimine prospicere tenemur: & in primis Reges & Principes Christianos decet, legem Dei capitibus suis reuerenter imponere, & pro eius obseruantia opes, & cunctas, quas à munificentissima dei manu acceptas obtinent ditiones, periculo exponere: vitamq; cum sanguine pro eiusdem honore, si opus sit profundere: quod manifestè in lib. Paralipomenon ostenditur, dum enim sanctus ille sacerdos Ioiada in Regem populi Dei vngeret Ioas, legẽ Dei, simul cum Diademate regio super caput eius imposuit, vt hoc signo intelligeret, quãta eam debebat prosequi veneratione; & postea in manum eius tenendam tradidit, vt sciret forti & inuicto brachio pro ipsius obseruantia sibi dimicandum fore: Eduxerunt, inquit Scriptura, filium Regis, & imposuerunt ei diadema & testimonium, dederuntq;

Epist. 61. ad Episc. & fratres qui in Oriẽte erãt.

Psalm. 68.

Lib. 2. c. 23.

runtq; in manu eius tenendam legẽ, & constituerunt eum Regem. Quid igitur hoc? numquid mysterio vacat? tunc Ioas verus Rex habetur, cum primum capiti impositam legem veneratur, & eãdem manu tenet? Certe Reges & Principes huius sæculi Deus Opt. Max. voluit admonere, in debito legi Dei cultu, & eiusdem constanti defensione, regiæ potestatis magnitudinem, & præstantiam sitam atque constitutam esse: quod nisi hæc ad vnguem obseruent, in conspectu eius Reges ac Principes non haberi, vt eos sanctificet, sed vt eosdem tãquam proprij muneris & offitij deser tores seuerissimè puniat. Agnouit sane status regij debitũ munus hoc esse, sanctus ille Propheta Rex, dum dixit: In capite libri (seu in volumine legis, vt habet veritas Hebraica) Scriptum est de me, vt facerem volũtatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Neque vero dissimili ratione Ecclesiæ præsules, & hæreticæ prauitatis inquisitores Dei honore impulsi & adducti, omni cura, & cogitatione euigilare debent, vt à populo Dei pericula, quæ omnium capitibus impendent, posint propulsare, quibus D. Basilius loquitur, cum dicit. Arripite pietatis zelum, eripite nos ex hac tempestate: eis enim, qui in specula præsunt, & sanctæ inquisitionis salutifero munere funguntur, præcipuè incumbit, saluti animarum vigilanter intendere, & insultantes hæreticorum acies coercere: quia (vt Cyprianus ait) Sponsam suam Deus nobis commendauit, Petro præcipuè, & prælatis propter eius eximium honorem, vt castam & incorruptam custodiamus, ne integritatem eius & castitatem mœchis prodamus. Quid ergo? Nunquid solis Regibus & Episcopis conuenit Ecclesiæ Dei prospicere & adiumento esse? Imo vero

Psal. 39. Vidend. Philo Iudęus de Magistratu, & Principe eligendo, & de vita Moysi, & de officio Regis alludens ad hæc eadem verba.

Psal. 39.

In sñijs Episcoporũ Cõcil. Carthaginen.

nobis

nobis omnibus. Quid igitur? Si potentia non ſuffragatur, ſi ſcientia deeſt, nunquid ab hac cura quiſquam liberatur? minime ſane: cui enim potentia qua hæreticorum effrænatam licentiam contundat, cui ſcientia deeſt, qua hęreſum deteſtabiles errores confutet, deeſſe tamen cor non poteſt, quo cum Apoſtolis Chriſti ardẽtiſsimo animi affectu exclamet. Domine ſalua nos, perimus. Quaſi ſubmerſa irruente tempeſtate nauis erat, qua Ionas vt fugeret à facie Domini in Tharſim, vehebatur, cumque omnes nautæ vt ſummum vitæ periculum effugerent pro virili quiſque laboraret: ipſe Ionas, qui, vt ignarus nauigandi artis, nulli vſui erat, in ima naui iacens ſopore obrutus nihil de periculo cogitabat: eum tamen cæteri, laboris expertem eſſe paſſi non ſunt, ſed potius à ſomno excitantes ſolicitarunt. Quid (inquiunt) tu ſopore depri-meris? Surge, inuoca Dominum Deum tuum, ſi forte Deus recogitet de nobis, & non pereamus; ſic igitur nulli excuſationis relinquitur locus, ſi inter medias vndas fluctuantem Eccleſiã, quod viribus & ſcientia ſuccurrere non poſsit, ſaltẽ pijs ad Deũ effuſis precibus nõ adiuuet. Quod ſi quis vel hoc præſtare renuerit, cum in propriam patriam, tum etiam in Deum perfidus dicendus eſt, ait enim Chryſoſtomus: Qui non ſuccurrit videns oppugnari Eccleſiam, reus eſt proditionis, iuxta illud Ezechielis: Quia vos non oppoſuiſtis ex aduerſo in die prælij pro domo Iſrael.

Iona. 1.

opere imperf. ſup Mat. hom. 25.

Inter calamitates vero & varias afflictiones quibus ad hoc vſq; tẽpus Eccleſia Catholica affecta eſt, & in poſterũ afficietur, altera violẽta, propter immanem tyrannorũ in

Ex D. Auguſtino ſuper Pſal. 9.

populum Christianũ potentiã & furore, altera insidiosa dicitur, propter blãdas hæreticorum fraudes, quibus eidem cõtinuo insidias tendunt: tertia vero in tempus Antichristi reseruata est, quæ duabus illis grauior erit: nam & propter potentiæ vim, violentior, & propter Antichristi miras res gestas multo fallacior erit. Cęterum si vtrãq; tam hæreticorum, quam tyrannorum oppressionem, æqua lance expendere velimus, inueniemus profectò multo grauiorem esse eam, quæ ab hæreticis infertur; licet enim tyranni rabie & furore perciti Christianos varijs tormentorum generibus excrucient, alij enim secti sunt, alij lapidati sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, &c. Martyrum tamen sanguinis profusione Ecclesia nobilitatur, fides in omnes orbis partes sparsa diffunditur, Deique gloria magis, ac magis amplificatur: At vero hæreticorum blanditijs & fraudibus multi, qui Christianæ fidei nomen dederunt, à vera religione in certam animarum suarum perniciem deficiunt, & in aposthasiæ nefandum scelus incurrunt: tyranni pro Christi nomine & gloria patienter tormenta perferre docẽt, hæretici vero eundem detestari: Denique tyranni cælum martyribus, hæretici autem aposthatis infernum repleuerunt: propter quod etiam teste Tertulliano, nõ minus hæreticorum doctrina Ecclesiam persequitur, quã Antichristi atrocitas, nisi quod persecutio martyres facit, hæresis aposthatas. Quare hæreticorũ cætus non absre ipsius diaboli congregatio, & sedes dicitur, seu certè quædam cæli intemperies, & atrocissima pestis, quæ longè lateque diffusa humanum genus fœdissimã tabe inficit, ac penè conficit: vt non immeritò D. Gregorius Nazian-

D. Paulus ad Heb. c. 2.

De pręscrip. hæretic.

„ zianzenus nos admonendo dixerit, eos, qui aliud profi-
„ fitentur, quasi pestem & corruptelam Ecclesiæ, & virus
„ veritatis abijcite. Quinimo & quod maius est, hæreticos ob propriam improbitatem, & in Christi mysticum corpus funestam stragem, ipsis Iudæis Christi crucifixoribus adeo deteriores, & perniciosiores esse, vt eos post se longo relinquāt interuallo, Magnus Augustinus pro cōperto habet. Ideoque eosdem ita alloquitur. Cōparate vos
„ hæretici Iudæis, illi contempserunt Christum pēdentem
„ in ligno, & vos contemnitis sedentem in cælo: illis fugge
„ rentibus stetit titulus Christi, vobis instantibus, deletur
„ baptismus Christi. & rursus idē: Venit persecutor, & nō
„ fregit crura Christi, nec miles diuisit vestem Christi: ve-
„ nit Donatus, & conturbauit Ecclesiam Christi, integrum
„ corpus Christi inter manus persecutorū est, & inter nos
„ Christianos nō est integrū corpus Ecclesiæ. Idem: Erube-
„ scite Arriani, tunicā Christi hominis iā iudicati in cruce pendētis milites nō sunt ausi cōscindere, vos charitatem Christi in cælo sedētis diuidere conamini, vos in infernū ruitis, & illam tunicam numquam rumpetis. Bene ille quidem, & recte, nam mysticam illam Christi vestem inconsutilem, idest, fidei sanctissimam vnionem numquam omnino hæretici discindēt, qui semper reipsa tergiuersantur, repugnant & resistunt Christo: quod enim Christus colligere nititur, illi dispergere conantur, Christus omnibus tam viuis, quam mortuis prodesse desiderans, illos docuit, & in rectissimum cæli tramitem direxit, hos autem secum ducens in illis beatissimis gloriæ sedibus collocauit: hæretici autem viuos disperdere, segregare, & occidere, mortuis vero & quod reliquum remedij

In oratione cōtra eos q dicebant eū Cathedram affectare.

De verb. Domini. ser. 8.

Super Psal 23.

Hom. 6. contra quinque genera hæresum.

medij superesse potest, idest, sacrificia, suffragia, & preces, nefario intendunt conatu auferre. Quamobrem hæresiarchæ & eorum sequaces non immerito D. Augustino illi mulieri similes esse videntur, quæ cum non esset vera mater pueri de quo coram Salomone controuersia fuit exorta, ab eodem vt seorsum in partes diuideretur enixe postulabat. At vero sancta mater Ecclesia illius gerit similitudinem, quæ cum vera mater esset, in intimis viscerũ præcordijs cõmota, & materno inflãmata amore, vitã nati seruare studens, ne is diuideretur, instabat: incolumitatẽq; eius propriæ voluptati præponẽs, vt alienæ & fictæ matri integer traderetur adsentiebat. Sic sanè vnionis & concordiæ, animorumq; cõsensionis integritatem etiam cum temporalium commodorum amissione, vera & genuina mater Eccelesia vbique conquirit, quam eandem hæretici odio & maleuolentia impulsi ad falsæ improbæq; matris modũ diuidere, & è medio tollere moliuntur. Quapropter rectè D. Cyprianus nos admonet, vt quo plures hæresum nouitates contra Ecclesiæ vnionem pullulare, & exoriri viderimus, eo maiori in fide, quã profitemur cõstantia muniamur, namque sicut Solis radij, multi cum sint, ab vno Sole proficiscuntur, & plures aquarum riuuli ab vno tantum fonte scaturiunt & defluunt, multi denique rami ab vna prodeunt radice: sic sancta Ecclesia Domini luce perfusa per totum Orbem radios suos porrigit, vnum tamen lumen est quod vbiq; diffunditur, ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius pandit: vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater fæcunditatis successibus copiosa; adulterari, inquit, non potest

D. Aug. Ser. 20. de temp.

3. Reg. c. 3.

Epist. 7. de vnitate, seu simplicitate Prælatorum

sponsa

ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica vnam domum „
nouit, & vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore custo- „
dit? Hæc nos Deo ſeruat, hęc filios regno quos generauit „
aſsignat, Ipſamq́; ſtipulam, hæreticos nempe, foris proij- „
ciens, Eccleſiæ aream mundat, & mundum triticum, catholicos nempe, in diuinum horreũ recondendos, & ſeruãdos mittit. Iam verò cũ hæretici adeo ob propriã pertinaciam mentis oculis ſint excæcati, vt nulla ad credendum adducantur ratione, adeò cor obtuſum, & tenebris obfuſcatum habeant, vt ab erroribus ſuis diſcedere nolint, nec Sanctorum doctrinæ, nec diuinarum literarum authoritati adhærere ſatagant, adeo in ſcelerum ſuorum ſordibus iacere geſtiant, vt nunquam reſipiſcere, & in bonam frugem redire decernant: merito D. Bernardus deploratum hominum genus vocat, de eorumq́; ſalute quodam modo deſperat, cum ait: Nam

Super Cant. ſerm. 66.

quantum ad iſtos nec ratione conuincuntur, quia non „
intelligunt, nec auctoritatibus flectuntur, quia non reci- „
piunt, nec admonitionibus corriguntur, quia ſubuerſi „
ſunt. Miniſtri ſanè diaboli ſunt, qui cũ Idololatriæ cultũ, quem per totum terrarum orbem, cũ legis naturalis tempore, tũ etiam ſcriptæ, diffuderat, & diſſeminauerat, prorſus aboleri videret, incõmodũ ſuũ cupiens reſarcire, per ſuos miniſtros hæreſum auctores, dolos, & inſidias in certam animarũ ruinã tetendit, vt mendaci religionis ſpecie nõ minus ac idololatria, ignaros homines pelliceret: & ſic ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos, ſubuertat fidem, veritatem corrumpat, ſcindat vnitatem. Quoniam vero vniuerſum genus hominum rerum nouitatibus ſuapte natura auidè delectari ſemper agnouit,

Ex Cypriano de ſimplicitate Prælatorum & Auguſt. lib. 8. de Ciuitate Dei. c. 51.

& à primis mundi temporibus expertus est, ideo nouis eos allicit hæresibus, vt decipiat, & sic Authore Lyrenensi, non minus tenera, quam pulchra lana agni paschalis vtitur, vt propriæ malignitatis austeritate cooperta venenatos Idolorum infernalium morsus catholici vitare nequeant. Quid igitur remedij poterit inueniri vt tantum malum Christianorum ceruicibus impendens arceatur? Certè non solum à gremio Ecclesiæ & consortio fideliũ hæretici procul abigẽdi sunt, sed neq; (vt D. Ambrosius monet) veritas ipsa ab eorum ore prolata percipienda est, sicut Christum Dominum nos erudiendo fecisse in Euãgelio legimus: cũ enim ab obsesso à dæmone, eundẽ exire cogeret, etiã salutaria fidei nostræ sacramẽta prædicare prohibuit, dicebat autem, Scio quod sis sanctus Dei: & tamen cum veritas hæc publicè prolata ad nos maximè pertineret, tacere tamen inimicus cogitur, vt tali exemplo moniti, ab hæreticorum ore, qui eiusdẽ partes gerunt, ne veritatem quidem ipsam audire velimus, cum sæpe fiat, vt sui magistri ductu tanquam zizania super triticum, mendacia superseminent: imo & peiores ipsis dæmonibus effecti, veritatem, quam ipsi de Christo confitentur, palam negent, & in illum quem dæmones filium Dei & Redemptorem mundi apertè prædicant, contumelias & blasphemias inijcere non vereantur. Quare vt rectè concludit Ambrosius: Si silentio imposito dæmon eijcitur, quomodo quis hæreticos tolerari posse putauerit? Neque vero solum vt non loquantur, sed ne quidem scribant hæreticis interdicendum est: ne quemadmodum à prophanis Aethnicorum libris perniciosas hæreses didicerunt, sic eas ipsi scriptas relinquant,

Contra nouitates hæresum.

In illa Christi verba: Exi, & obmutesce.

Marc. c. 1.

Lib. 4. in Luc. c. 7.

&

& posteris tradant. Ideoq; à D. Greg. Nazianzeno, Phi- Lib. de Fide.
losophorum filij dicuntur, quia cum malorum hominũ
natura in peius propensa sit, à philosophis minimè mu-
tuantur, quæ rectè & sapienter dixerunt: sed quæ contra
veritatem impiè effutire ausi sunt, ea symiarum more
imitantur, & obseruant; vt rectè D. Chrysost. dixerit, hæ- „ Imperf. i Matt. ho.
retici imitantur mysteria, sed non sunt Ecclesiæ, & ita hæ „ 19.
reticorum principis Antichristi pestiferos & deprauatos
mores præueniũt, de quo Angelus Danieli reuelasse vi- Notauit Ephrem. ser. de Antichristo.
detur: Sermones contra Altissimum loquetur, & sanctos
debellabit, & putabit, quod possit mutare leges & tẽpo-
ra. Causa autem, quare hæreticis nec docere, nec libros Daniel c. 7.
promulgare permittitur, ea Diuo Nazianzeno videtur,
quia si secus fieret, quis non videt Ecclesiæ doctrinam „ Ad Nestoreũ
cõdemnari perinde ac veritate ab illorum partibus stan „ Cõstantinop.
te, nec enim rerum natura fert duas de eadem re doctri- „
nas cõtrarias esse: quamobrem D. Basilius Philistæorum „ Epist 161. ad Cesarien.
factum nobis in memoriam reuocans salutariter admo-
nẽdo clamat: Fugite Philistæorum pastores, ne clam vo- „
bis obturent puteos, & scientiæ circa fidem puritatẽ con „
turbent, hoc enim eis semper studium est non ex diuinis „
scripturis benè, & sanè intellectis simplices docere ani- „
mas, sed externa sapientia refutare veritatem. Sapienter „
ille quidẽ: Nam hæretici Philistæorum more, purissimæ
aquæ puteos, quos verus Iacob nobis aperuit, claudere
abscõdere, aut iniectis saltẽ sordibus fœdare laborãt, nec
vnquam puram, & catholicam doctrinã, quæ in Ecclesia
solũ reperitur, sed alienam, nouã, & fallacijs plenã blan-
diẽdo tradũt & profitẽtur, qua nõ erudire, sed aures mul
cere, & lenire student, vt nõ immerito pessimis cauponi-

Lib. 1. in Isa. c. 1. Videdus idem in Epist. ad Galatas, cap. 3.

„ bus eos assimilari D. Hieron. arbitretur, dum ait: Omnis „ doctor, qui austeritatem scripturarum vertit ad gratiam, „ & ita loquitur, vt non corrigat, sed vt delectet audientes, „ vinum sanctarum scripturarum violat, atq; sensu suo cor- „ rumpit: hæretici quoque vinum sanctarum scripturarum „ interpretationibus corrumpunt, & sunt caupones pessi- „ mi facientes de vino aquam, cum in conuiuio Dominus „ noster Iesus Christus aquam in vinum conuerterit, quale architiclinus & Regina Sabba est mirata in conuiuio Salomonis sua voce collaudans, pincernã & ministros eius. Quare D. Augustinus in tract. de decem plagis, eos non solum perniciosos audientibus iudicat, sed plane inutiles cum ranæ sint importunitate sua tædia afferentes auribus, & non cibum mentibus.

Videdus D. Hierony. in Cant c. 4. ad illa verba capite nobis vulpes paruulas. & D. Ambr. li. de Fide ad Gratianũ, & D. Aug. de conuenientia decem præcep.

Quod autem ad hæreticorum mores attinet, hoc inter sanctos doctores plane conuenit, plus nocumenti populo Christiano eos afferre, qui sanctitatem simulant, quam eos qui palam & publice scelerũ colluuione contaminati, pessimi vt sunt, apparent: namque qui speciem aliquam virtutis præseferunt, vel aliquam sanctitatis imaginem habent, plus apud homines auctoritate valent; atque per simulatæ bonitatis allectamenta, in insipientiũ hominum, qui cum lincei non sint interiora penetrare non possunt, animos sese insinuant, ibiq; grauissimos suggerunt, & imprimunt errores. Quare Origenes eleganter ait, multo nocentior est hæreticus bonæ vitæ, & plus „ in doctrina sua habet auctoritatis, eo, qui vitæ conuersa- „ tionem maculat: qui enim vitæ pessimæ est, non facile „ homines ad falsum dogma sollicitat, nec potest per vm- „ bram sanctitatis audientiũ decipere simplicitatem, quo fit,

Sup Ezech. hom. 7.

fit,vt cum hæreticum, qui se catholicum simulat dignoscere nõ possimus,nisi diuino afflati numine,aut tandem post sedulam ministrorum Ecclesiæ diligẽtiam, recte D. Bernardus dicat,plus nocet falsus catholicus, quam si verus appareat hæreticus. Quamobrem nihil magis in Ecclesiæ Dei augmentum,& in reipublicæ Christianæ tranquillitatem & pacem vergit, quam si tale genus hominũ sanctæ inquisitionis officij ministris patefaciamus: quod quidem opus à D.Leone summum pietatis officium appellatur,cum ait, maxima est pietas prodere latebras impiorum& ipsum in eis cui seruiunt debellare diabolum. Vnde cũ ideo à catholica veritate defecerint vt maiori cum licentia viuerent, cõmodius diuitijs comparandis, captandisque & aucupandis honoribus operam darent, quod D.Chrysostomus declarat,cum dicit: Hæretici sũt prudentes in malo,stulti in bono,varij in moribus,multiplices in malignitate,super ventrẽ ambulant, quia quidquid faciunt, propter ventrem, & propter vanamgloriã pectoris sui faciunt, viperæ sunt rumpentes viscera matris quia properãt ad principatum: Aequissimo Dei iuditio effectum est, vt ab ipsius Dei ministris, earum rerum vsu priuentur, propter quas aucupandas Deilegem deseruerunt,& à veritatis tramite defecerũt: & ita fortunis, vita, & honore, erratis eorum sic exigentibus iustissimè priuantur. Quod idem in suorum scelerum pænam, Iudæorum populo contigisse videmus,cum enim,ne venirent Romani,& tollerent locum eorum, Christum cruci figendum impiè decreuissent,iuxta peccati causam meritas dederunt pænas: nam eodem tempore,eodem die festo, quo Christum Dominum crucifixerunt, ciuitatem

Super Cant. Ser. 66 in illa verba. capite nobis vulpes &c.

Serm. 4. de collectis.

Imperf. in Matt. in hom. 4.

Ex Chrisost. homilia 4. in Matth. & D. August. li. 3. quæst. super Euang. cap. 12.

ſanctam Hieruſalem Romani ſolo æquantes, omnes ad internetionem vſque deleuerunt: Imo & quibus Meſsiæ aduentus potiſsimũ promiſsus erat ad redimẽdas oues, quæ perierãt de domo Iſrael, propter immeritam Christi Domini mortem & eorum pertinacem infidelitatem fructu tanti boni priuati ſunt, gentibus in eorum locum ſuccedentibus; quos ideo eleganter D. Auguſt. fabris arcæ Noe comparat dum ait. Quid dicam de infidelitate Iudæorum, qui magis quærentibus Chriſtum prophetiã in medium proferunt, Bethleem deſignant, ipſi nec intellexerunt, nec quæſierunt: ſimiles facti ſunt fabris arcæ Noe, qui alijs vbi euaderent præſtiterunt, ipſi vero diluuio perierunt, ſimileſque lapidibus milliarijs viam alijs oſtendentibus, nec ambulare poterãt; quia ſtolidi in via remanſerunt. Quid igitur fecit perſecutor, fecit enim per Iudæos neſcientes, vt redimerentur ſcientes, confunderetur negantes: Cantet igitur Chriſtianus redemptus, gemat Iudas venditor, erubeſcat Iudæus emptor.

Serm. 11. de Magis. Videndus idẽ lib. 2. Retractat. c. 11 & Epiſt. 48. ad Vincent & Epiſt. 50. ad Bonifaciũ.

Cæterum mirum videri poteſt, quod cum hæretici & Iudęi perfricata fronte, in ſuum proprium exitium ruentes Deum deteſtentur, & ab ipſo tamen tandiu tolerentur, & recipiãtur à ſancta Eccleſia tot ab ipſis affecta iniurijs, quarum immemor, & maternæ ac ſingularis pietatis ſuæ memor, eoſdem ſummo proſequitur amore, atq; ad ipſos recipiendos, fouendos, & amplexandos ſemper parata eſt: quinĩmo hæreticæ prauitatis inquiſitores, huius amantiſsimæ matris eximiam pietatem, & ſingularem charitatis modum imitati, prius paternæ indulgentiæ affectu eis parcere & patrocinari parati ſunt, qui reſipiſcentes à peccatis, veterique errorum impietati ex cor-

de renunciantes, veniam eorum præuia fideli cõfeſsione humiliter poſtulant, potius aduocati vt defendant, propugnatores vt protegant, quam incorruptiſsimi iudices, vt ſeuerè puniant. Nec vero illud mirum alicui videri debet, cum in peccatorum inſignium tolerantia, magnitudinem bonitatis diuinæ, & viſcera miſericordiæ Dei oſtendi D. Paulus aſſeueret. Neque enim (ait Fulgentius) eſt perfecta bonitas, à qua omnis malitia non vincitur, nec eſt perfecta medicina, à qua aliquis morbus incurabilis relinquitur, & vt dicitur: Sapientiã non vincit malitia. Quam ob rem diſertè & piè Tertullianus notauit, potuiſſe quidem Iudæos aliquid ſupra hominem de Chriſto Domino cogitare, dũ magnanimè tot, tãtiſq; affectum iniurijs tormentorum vim & crucis acerrimũ ſupplitiũ libentiſsimè pati, proprijs oculis cõſpexerunt. At vero ſancta Eccleſia eos benignè tolerat, tum vt piiſſimæ matris officium nõ deſerat: quemadmodum enim gallina (ait D. Chryſoſt.) non ſolum pullos ſuos calefacit, ſed cuiuſcunque volatilis filios, à ſe excluſos, tanquam ſuos diligit: ita Eccleſia non ſolum ſuos Chriſtianos, ſed ſiue Iudęi, ſiue Gẽtiles ſint, dũmodo ſuppoſiti illi fuerint, omnes fidei ſuæ calore viuificat, & in baptiſmo generat, & ſermone nutrit, & materna diligit charitate: Tũ etiã, quia ſponſi ſui Chriſti Ieſu exemplo monita agnoſcit, ex maximis malis, maxima bona ſæpenumerò prouenire. Nãq; Chriſtus Dominus ex morte crudeli, quã Iudæi ferina rabie perciti immerito eidem intulerũt, nobis æternam vitam: ex ſacrilega autem ſui venditione noſtræ captiuitatis optatam redẽptionem excerpens: ex duobus grauiſsimis malis, quæ in mundo perpetrata ſunt, duo maxi-

Ad Ro. c. 9.

Ep. 7. ad Venant.

Sapientiæ, cap 7.

Imperf. in Matt hom. 49


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

maxima bona, quæ in omni vita poterant exoptari collegit, & vt D. August. docet, nihil prætermittit eorum, quę saluti nostræ conuenire, & gloriæ suæ manifestationi inseruire posse videt: atque ita proprio Iudæorum testimonio veritatem suæ doctrinæ probat, & Iudaicam redarguit, & conuincit perfidiam, & vmbris legis veteris vtendo, eiusdem ritus & cæremonias ostendit, vt nouæ legis præstantiorem virtutem confirmet, & sacramentorum sanctitatem & excellentiam declaret, quæ quidem sunt vitute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Quantum vero hoc fuerit Dei beneficium erga Ecclesiam suam D. Augustinus testatur, dum ait: Proferimus codices à Iudæis, & ab ipsis accipimus testimonium, & respondemus paganis, nempe isti, & illi nostri sunt inimici; (& rursus.) Validis vtiq; nititur priuilegijs, qui causam de aduersarij asserit instrumentis, & ideo Iudæi dispersi sunt per gentes vt alios, ex alijs conuincamus inimicos: (& alibi) Nō ad suam sed ad gentium salutem Iudæi nostræ fidei diuina testimonia portant, propter hoc enim illa gens de regno suo expulsa est, & dispersa per vniuersum orbem vt eius fidei, cuius inimici sunt, vbique testes esse cogerentur: perdito quippe templo, sacerdotio, & sacrificio, & ipso denique regno in paruis veteribus sacramentis, nomen genusq; custodiūt, ne permixti gentibus sine discretione dispereant, & testimonium veritatis amittant, veluti Cain accipientes signum, vt eum nullus occidat, qui fratrem iustum inuidus & superbus occidit. Neque vero secus in hæreticis cōtingit, namque, (vt idem ait,) in templo sacrilegorum inuenitur veritas, in quo ignotum Deum colebant, vt dicit

De vera religione, ca. 6.

Contra Faustum.

Super Ioannē, sermo. 34.

De Resurrectione Dñi, ser. 19. in Ioannem.

Ser. 4. de Epiphania.

Libr. ad Constāt. in fin. c. 18.

cit Paulus Athenienſibus, & in dæmonum iniquitatibus inuenta eſt veritas, quia confeſsi ſunt Chriſtum, & in hæreticorum iniquitate inuenta eſt veritas, quia confitentur gratiam Dei. Denique eos benignè tolerat Eccleſia, vel ad exercitationem noſtræ patientiæ, aut examen noſtræ intelligẽtiæ, quia (vt idem docet.) negligentius veritas quæreretur, ſi mẽdaces aduerſarios non haberemus: Nullus autem catholicorum (inquit D. Hieronimus) tantum habet ſtudij in bono, quantum hæretici in malo. Quare cum talis tamque miſeranda hæreticorum, & Iudæorum conditio ſit, quid de his poſsim certo promittere non inuenio, ſed potius omnes obſecrare conuenientius duco, vt ea quæ ad accedendum ad Deum ſunt neceſſaria ab eodem Deo illis ipſis impetremus, diuinæ ſcilicet lucis radium quo interius illuſtrati profligatos ſuos errores deteſtari, catholicæq; fidei veritatem perſpicere queant, & amplecti: Inſuper & verecundæ cõſcientiæ puritatẽ, qua præteritorũ ſcelerum, vt par eſt, eos pudeat, vt tandem ſalui fiant: atque ita cum Propheta Dauide illos qui in errore iacent, & peccatorum tenebris ſepulti ſunt, atque in malitiæ inueteratæ ſomno demerſi, propheticæ vocis ſtimulo excitare poſsimus. ACCEDITE AD DEVM, ET ILLVMINAMINI.

Tract. de conſonãtia Matt. & Lucæ, de generatione Chriſti. D. Hier. ſuper Iſaiam. c.13. & Tertul. contra Valent. hęret. ſtatim poſt principium.

Quoniã verò Iudaicæ perfidiæ cæcitas, lucis diuinæ radijs, cæleſtiq; Dei illuminationi hucuſq; reſiſtere nõ ceſſat, nõ abs re fore exiſtimaui, ſi aliqua ex ipſorũ Prophetarũ oraculis teſtimonia in mediũ proferam, quorum explicatione propoſita, cõuicta maneat, & confuſa. Igitur Oſeas Propheta dum de aduentu Meſſiæ ad literam vaticinaretur, ſic ait: Dies multos ſedebunt filij Cap. 3.

Iſrael

Israel sine Rege, sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Theraphim, & post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum, & pauebunt ad Dominum & ad bonum eius in nouissimo dierum. Ex quo apertè colligitur futuram Iudæorum conuersionem ad Deum, cum nec templum, nec sacrificium, nec Theraphim habebũt, hoc est, cum nec verus cultus Dei, quantum ad legem, nec falsus quantum ad idolorum adorationem apud ipsos extiterit, illud enim significat Theraphim, idest idola, vel idolorũ imagines, sicut rectè D. Hieronymus explicauit. Vt autem huius mysterij veritas magis innotescat, animaduersione dignum est, Iudæos nullo vnquam tempore, nec quidem eo, quo Deus Iudaicum populũ mirabili quadam prouidẽtia moderabatur, eorumq; curam specialem gerebat, idolorum vanam superstitionẽ penitus reliquisse, nisi postquam Messias in lege promissus mundo apparuit, atq; ab ipsis fuit crudelissima morte peremptus: in quo quidem satis constat propositi vaticinij veritatem impletã esse, quod exactissimè postea implebitur, cum in nouissimo dierum (vt idem Propheta ait) Euangelij voce rursus inuitati, emollitis iam diuina misericordia eorum cordibus, quæ hactenus ob propriam ipsorum culpam obduruerant Christum Regem Dauidico sanguine natum reuerebuntur, & excipient, & verum Messiam, verumq; Dei filium esse credent. Euidens igitur Christi aduentus inditium est, quod nec Dei verum, nec Idolorum detestabilem cultum Iudæi habeant, quod etiam voluit Propheta significare, dum dixit. Non fornicaberis, nec eris viro, vbi per fornicationem

ido-

idolorum cultus intelligitur, vt sæpiſsimè in Scriptura ſacra: ſenſus igitur eſt, nec fornicaberis, quia idola non adorabis: nec eris viro, quia Deum ſponſum non habebis, qui legis Moſaicæ cæremonias abolebit, & relicta ſynagoga, legis nouæ Eccleſiam proprio ſanguine redẽptam ſacratiſsimo matrimonij fœdere ſibi copulabit. Id quod etiam non obſcurè innuunt diuini vates, dum ſentiunt aduenienteChriſto, omnium idolorum adorationem in Aegypto funditus abolendam fore, ſicut videtur ſignificaſſe Iſaias, dum ait. Ingredietur Aegyptum & commouebũtur ſimulachra Aegypti à facie eius: quorum verborum occaſione Euſebius Cæſarienſis in Iudæorum obſtinationem & pertinaciam ſic inuehitur. „ Signum eſt certiſsimum, & infallibile aduentus Chriſti, „ corruiſſe idola Aegypti, & ceſſare dæmonũ cultum, & „ perſiſtitis in perfidia veſtra. D. autem Auguſt. hoc multo ante præuidiſſe & ſignificaſſe Sybillam aſſerit, nec non Triſmegiſtum multo ante tempus Meſsiæ eadem prædixiſſe. Diuuſque † Athanaſius idem aſſeuerat his verbis. Olim dæmones vana ſpecie, ludibuſque rerum intricabant homines, cum autem apparuit Dei Verbum, ſpectra huiuſmodi, & ludibria incantatorum ceſſarunt. Eadem vero nocte, qua agni ſanguine aſperſis filiorum Iſrael poſtibus, Deus, vt populum ſuum ſeruaret, Pharaonem verò perderet, Aegyptum pertranſijt fractafuiſſe, & corruiſſe Aegypti Idola Rabbini Iudæorum aſseuerant: id quod Chriſti veri Agni ſanguine pro humani generis ſalute effuſo omnia noſtrorum criminum idola prorſus abolenda fore non obſcurè ſignificauit.

c.19. & 18. & Ezech. c.6 & 30. & Zacharias. c.13.

De præparat. Euang. & lib. 6. de inſtrum. Euang. c 20. & lib. 8. c.5. & lib. 9. c.2.

Lib. 8. de Ciuit. Dei, & de conſenſu Euãg. 16. 17 & 19. & 26. & 27.

Idem affirmat Niceph hiſt. eccl. lib 10. c. 31. & Sozom. trip. hiſt. lib. 5. c. 21.

† Lib. de Incar Verbi.

Alterum vero testimonium, vt reliquis breuitatis cau
Cap. 2. sa supersedeam, ab Aggæo Propheta petēdum duxi, qui dū de Mesia in lege promisso prophetaret, hoc aduentus eius inditium proponit. Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ, dicit Dominus exercituū: vbi planè testatur tunc Salomonis templum multo magis gloriosum futurum, quam cū à Salomone ædificatum, & absolutum fuit, quod certè de posteriori templo intelligi nequit, licet enim post eiusdem euersionem magnis impēsis fuerit instauratum, si tamen ædificij magnitudo, si auri & argenti splendor, si vasorum copia, si deniq; mirabilia, quæ Deus in ipso ostendit considerentur, & recta trutina perpēdantur, ne minima quidem ex parte cum primo conferendum, ne dum illi præferendū fuit. In primo enim Deus locutus est, & illud ipsum (vt
2. Paralip. 7. diuinæ literæ testantur) gloria Domini repletum fuit: quod vero ad alia attinet, scilicet fabricæ structuram, & compositionem ornamētorum, vasorumq; varietatem, magnam inter vtrūq; templum dissimilitudinem fuisse
1. Esdræ. 3. lachrymæ illæ seniorum testantur, qui vasis aureis vasa ænea successisse intimo cordis dolore lamētabantur. Igitur hæc Aggæi verba de nulla alia maiori gloria intelligi queunt: nisi de ipsius Messię præsentia, cum enim Christus Dominus paulo ante quam tēplum à Romanis funditus destrueretur, in eo multum, diuq; dum vixit, versatus fuerit, ibiq; tot ac talia ediderit miracula, quæ in maximam omnes rapiebant admirationem, tunc certè amploiri fuisse gloria ornatū, liquidò apparet: cuius quidē gloriæ continuata successio ad Ecclesiam Catholicā peruenit, ob ea, quæ circa illam idē Dominus perpetuò operatur,

ratur, præcipuè verò, dum idē Dei filius, singulis diebus pro viuorum, & mortuorum salute in sacrificium Deo patri gratissimum iugiter offertur, & immolatur. Quare si de Prophetiæ veritate non dubitatur, sicut dubitādum non est; certè Messiam in lege promissum iam aduenisse manifestissimè constat.

Sed relictis iam Prophetarū oraculis, Messiæ tamen aduentum certissima fide tenendum, ex ipsis diuinis literis deducta ratione statuamus. Sanè Iudæi pro euidenti signo iudicabant, Dei à se benignitatē auersam esse, quoties Angelorum reuelationes, aut piorum hominum vaticinia apud ipsos deficiebant: quod Iudaici populi carmen assumens, eorum nomine cōfessus est Dauid. Signa nostra non vidimus, iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius. Cum igitur à tempore mortis Christi, tum diuinis Prophetarum vaticinijs, tum cæteris Dei beneficijs careant: se vera Dei cognitione carere, atq; adeo propter eiusdem Christi immeritam occisionem à Deo derelictos, & dissipatos, & vbique terrarum dispersos necesse est fateantur. Quò fit, vt præclarè sapientissimus Salomon diuino Spiritus sancti lumine illustratus dixerit. Cū defecerit prophetia dissipabitur populus: Enim vero quādo in Republica Dei ministri sapientes desunt, qui eiusdem voluntatē populo annuntient, & legis veritatem fideliter interpretentur: funestum exitium & perniciosam cladē eidem impēdere efficaci ducimus coniectura: sine illis enim regna, aut omnino pereunt, aut errorum multitudine deprauata delirāt, & ij quibus speculatorum offitium incumbit, vt eos qui à recto tramite deflectunt, iterū reducant, ita cæci fiunt, vt nec in meridia-

Psal. 77. Ponderauit D. Aug. sup hæc verba Psalmi.

Prouerb. 19.

na quidem luce lucem valeant intueri. Quare summum hoc esse Dei supplitium non semel testati sunt Prophetæ. Isaias enim sic exclamat. Obstupescite cæli, & admiramini, fluctuate, & vacillate, inebriamini, & non à vino, mouemini, & non ab ebrietate, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros; Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones operiet, & erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent: lege istum; & respondebit, Non possum: signatus est enim, & dabitur liber nescienti literas, diceturque ei. lege: & respondebit: Nescio literas. (& infra: horum rationem reddens ait.) Peribit enim sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium eius abscōdetur. Quod idem valdè timendum supplitium minatur Deus per Prophetam Amos, dum ait. Emittam famem in terrā, non famem panis, sed audiendi verbum Dei: id quod etiam in eam partem accipi potest, vt sit vaticinium quo ostendatur fore, vt postquam Messias inter homines degens omnia quæ de ipso prædicta fuerant perfecisset, & ad vnguem impleuisset, nullum amplius inter eos Prophetam futurū, sed in omnes mundi partes Iudæorum populū miserè dispergendum. Iam verò postquam Iudæi Christum Iesum verum Dei filium, crucis patibulo affixerunt, nullam aliam idoneā tanti supplitij causam possunt adducere, quare neq; Prophetas neq; diuinas habent reuelationes. Sapienter enim ait August. Ea omnia quæ de ipso erant, ipse Dominus fecit, nec disoluit aliquid, sed cōfirmauit: Prophetæ enim de ipso locuti sunt, & ideo vltra illa quæ ab ipsis de Christo dicta sunt tendi non possunt, nec post ipsum

Cap. 29.

Amos. c. 7.

In quæst. vet. & noui testamenti, quæst. 69

Pro-

Prophetæ aliquid huiusmodi poterunt reperire, nec habent de quo dicant: ecce de quo dicebant, iam venit, & omnia dixerunt mysteria, & propter hoc impleto tẽpore dispensationis cessauerũt Prophetæ, & ideo dicit Paulus, finis legis Christus. Et Daniel dixit, qđ veniẽte Christo iudiciũ, sacrificiũ, & ipsa ciuitas cessatura erat. Iuxta quã veritatẽ Christus Dominus dixit. Omnis lex, & Prophetæ vsq; ad Ioannẽ: quoniam ille veteris legis finis, nouæ autem principiũ futurus erat, id quod Apostolus Petrus cum Iudæis Christi fidem persuaderet, confirmauit. Omnes Prophetæ, inquit, à Samuel, & deinceps, locuti sunt annunciare dies istos. Præclarè vero D. Aug. causã affert, quare Prophetæ vsq; ad Ioannẽ, & ad Christi tẽpus perseuerauerint, ait enim. Durauerunt vsq; ad Ioannem, & Christum, qui fuit finis, cuius gratia fuerũt Prophetæ. Quamobrẽ meritò D. Ioannes à Christo plusquã Propheta dictus est, quia cum Prophetarum proprium munus sit, futura de Christo indicare, Ioannes autem eum, de cuius futuro aduentu cæteri vaticinati fuerant, præsentem digito ostenderit, iure prophetiæ nomen & veritas cessauit, siquidem ille iam præsens videbatur in terris, in quem tãquam in scopum omnium Prophetarum vaticinia intendebant, & de cuius aduentu omnes quot quot extiterũt prophetæ, testificati sũt: qua de causa omnes Rabbini docti, hos dies, dies Mesiæ vocant, & Rabbinus Moyses Gerũdensis, & tres antiqui Rabbini Thalmudistæ dicunt. Prophetæ non prophetarũt, nisi de die, vel de diebus Mesiæ.

Math. 11.

Videndus Tertull. de Passione Christi, & de vastitate Hierusalem.

Libr contra Faustum, c. 8. & deinceps de Ciuitate Dei, c. 17. & 24.

Videndus Chrysost. in Math. c. 11. sup illa verba. Lex & Prophetæ, & imperf. in Math. c. 7.

Quamuis aũt Iudæorũ synagoga post Mesiæ aduentum Prophetas amplius non habuerit, quia ita eorũ peccata

cata postulabant, Ecclesiæ tamen catholicæ nō defuerūt aliqui ad religionē Christianam confirmandā, namq; de
Cap. 11. Agabo propheta in Actibus Apostolorum expresse fit
1. ad Cor. c. 12. mentio. D. autē Paulus ait: Ipse dedit quosdam Apostolos, & quosdam Prophetas. Duabus autem de causis, (vt
Super Math. D. Thomæ placet) Prophetæ à Deo sunt misſi, primum & præcipuè vt veræ fidei fundamenta iacerent, & legis diuinæ veritatem stabilirent, ac hominibus notam facerent: Secundo vt eiusdem legis obseruantiam persuaderent, & omnes ad rectam viuendi normam adducerent.

Cum vero Catholica fides tot miraculis confirmata, sanguine Martyrum stabilita, Apostolorum doctrina per totum terrarum orbem vbique propagata, tot sanctorū virorum prædicationibus illustrata, omnibus nota sit: insuperq; summum Pontificem Christi vicarium habeamus in terris, qui quo ad Ecclesiæ administrationē, morumq; integritatem, quæ credenda nobis sunt & facienda infallibili iudicio sincerè & sanctè nos docet: ideo nō mirum est, si in Ecclesia Prophetæ esse desierint, iuxta hæc enim apparet, non ita in ea necessarios fuisse, sicut olim in veteri testamento: sed quantum ad mores corrigendos, & informandos attinet, in lege gratiæ Prophetæ nunquam deerunt, quinimmo in maiori semper numero reperi-
Lib. 2. de ser. Dñi in monte, cap. 11. „ entur, namque vt mirè aduertit Augustinus. Inhabitabit „ Deus iustos, vt non opus sit cuicumque doceri, sed erunt „ omnes (vt scriptū est Isaiæ 54. & Ioan. 6.) docibiles Dei, „ idest, omnes docti à Deo, seu vt alia litera dicit. Erunt „ omnes scholares Dei.

Vt autem rem tanti ponderis, & momenti percipere valeamus, fidei oculis & conscientiæ puritate (vt nos Da

uid

uid Propheta admonet)ad Deum accedere oportet:qui verò à veritatis luce ad iudaicæ perfidiæ caliginem, cæcamq; noctem miserabiliter defecerunt,eo maiori diuinæ benignitatis indigent auxilio,vt cæcitatis tenebris expulsis, oculi eorum aperiantur ad diuinæ scripturæ veritatem intelligendam, quo sacro sancta mysteria obscurius sub litera latent, cui propria obstinatione obdurati mordicus adhæserũt:quia verò omnia illis in figuris contingebant,iuxta D. Pauli doctrinam, ideo Christus Dominus,vt Mesiam in lege promissum aduenisse comperirent, ne in literæ superficie tantummodo consisterent, sed vt intima,quæ per eam demonstrantur mysteria penetrarent, his verbis hortabatur: Scrutamini scripturas, ipsæ enim testimonium perhibent de me,namque vt D. Chrysost.ait,Non in terræ superficie,sed in venis aurum inuenitur,quod amplius declarauit D.Nazianzenus,dũ dicit: Non in cortice medulla est,licet ipsa cortice veletur,ita nec in ipsa litera veritas consistit,licet literæ veritas ipsa quasi velo obducatur. Neque verò tacẽdum est, quod mysteria diuina in sacræ paginæ litera inclusa, quæ Mesiæ aduentum respiciebant duplici tegebantur velamine,altero ipsius legis scriptæ,altero naturæ humanæ, qua verbum diuinum operiebatur: quapropter dixisse sponsa refertur. En ipse stat post parietem, respiciens per cancellos. Christus enim (vt Emissenus rectè ponderauit, in lege & prophetis prædicabatur, & à nemine cognoscebatur, quia duplici velamine tenebatur, velamine literæ,& velamine carnis,ipse enim iugulabatur in Agno, immolabatur in vitulis, & in omnibus sacrificijs offerebatur. Fide igitur viua ad Deum accedere

Videndus Chrysost. In Math. hom. 40.

Ioan. 5.

Ad Nemesium.

Cant. 2.

opus

opus eſt, vt tantorum myſteriorum intelligentiam aſſequamur. Et vt ex eorum reuelatione vberrimos poſsimus fructus percipere, immo vt ipſum ſingulare fidei donum nõ periclitetur, ſed illibatum in animis noſtris firmiter perſeueret, ad præſcriptas ab eodem Deo regulas vitam inſtituere, moreſq; componere oportet, ſine his enim nulli ad cæleſtem patriam aditus patet: quod eleganti ſimilitudine Chryſoſt. declarat, cum ait. „ Lucerna „ non ex oleo accenditur, ſed per oleum nutritur, ſic fides nõ ex opere naſcitur, ſed per opera nutritur. Primum vero D. Paulus docuit, cum dixit: quod Abraham, non ex operibus ſed ex fide iuſtificatus eſt: ſecundum vero Iacobus Apoſtolus cum dixit: Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? Quare cum ſine operibus noſtris Deus Opt. Max. fidei Chriſtianæ donum ex mera liberalitate & gratia mentibus noſtris infuderit, fidem non ex operibus naſci, ſed tamen per eadem oſtendi & perfici manifeſtum eſt. Ideoq; à D. Iacobo Apoſtolo fides ſine operibus mortua dicitur, quia ſecluſis operibus ſola fides ſaluare non valet: ſed certè, (vt inquit D. Thomas,) mortua eſt fides, cui Dei amor & bonorum operum motus ac exercitium vitam non præſtat; & ita gloſa interlinealis ait: ex operibus fidei magis iuſtificatum fuiſſe Abrahamum, „ quæ ſi „ non feciſſet meritum præcedentis fidei amiſiſſet: quæ enim fides operũ exercitio non colitur, ſed otio, & ignauia torpeſcit, in ſummo diſcrimine verſatur, & maximo eſt obnoxia periculo, quod in Iudæis manifeſtè percipi poteſt: cum enim notus in Iudæa eſſet Deus, & in Iſrael magnum nomen eius, cumque ipſe Iſrael propter fidei excel-

Oper. im perf. ho. 18.

Ad Rom. c. 4.

In ſua Canonica Epiſtola, c. 2.

Vbi ſupra.

excellentiam peculiaris esset Dei populus, quia tamen mores à fide discrepabant, & vitam ipsi æthnicorum ritu ducebant, in eas sunt redacti miserias, vt eiusdem fidei miserandam facerent iacturam: Cuius periculi calamitatem volens auertere Paulus Apost. Timotheum sic docet: Hoc præceptum tibi cōmendo fili Timothee secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in lilis bonam militiam habēs fidem, & bonam conscientiā, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt. Et in eadē epistola dum Ecclesiæ prælatis consulit, vt ab auaritiæ studio longè absint, veritatem fidei cordis puritate retineri docet his verbis: Non turpe lucrum sectantes, habētes mysteriū fidei in conscientia pura. Quemadmodum enim nauis sine anchoris, & alijs quæ ad nauigandum spectant instrumētis, tutum in portum cursum dirigere, illumq; tenere minimè potest, quinpotius vt mole fluctuum oppressa, ac iactata impetu ad scopulos allidatur, & naufragium faciat necesse est: Ita fides operum præsidio destituta, vela quidem pandet, quasi per mare huius mundi cursum fæliciter dirigens, sed ad securum cæli portū nunquam perueniet. Quamobrē D. Paulus ne huiusmodi hominibus in fidei inconstantia, & morum iniquitate similes simus, admonet cū dicit: Iam non simus paruuli, & circūferamur omni vento doctrinæ: quod D. Chrysost. optimè confirmat, cum ait, Sicut „ mala dogmata impuram inducere cōsueuerunt vitam, „ ita vita peruersa dogmata peruersa sæpè parit. „

1. Tim. c. 1.

Cap. 3.

Ad Ephes. c. 4.

Sup hæc verba D. Pauli.

Quoniā verò ij quos ante oculos habetis, corruptos, & deprauatos maiorū suorū mores imitati sūt, qui ad eā viuendi licentiā deuenerūt, vt crimina etiā cōtra naturalē

& diuinam legem, licere sibi praua consuetudine putarent, immo & sordidũ vsuræ fœnus, quam etiam Aethnici detestabantur, iustum & sanctũ existimarent iusto Dei iudicio ab ipsius veri Dei notitia alienati sunt: id quod à D. Hieron. sapienter consideratur, qui hæreticos propter morum inueteratam corruptelam nõ solum fidem amisisse affirmat (quod etiam nos re ipsa experimur,) sed ideo tantopere voluptatibus sæculi indulgere solitos, quia peruersi cum sint cælestia gaudia non sperant, sed iam de cælesti hæreditate desperantes voluptatibus sæculi sese totos tradunt. Quo fit, vt nõ immeritò D. Paulus pessimè assuefactos homines filios diffidentiæ vocauerit, cum enim ipsi dixerint, Venite fruamur bonis, &c. Eadem sapientia apertè testatur, in maleuolam animam non intrabit sapientia. Quod etiam Christus Dominus non obscurè significauit, cum dixit, non esse mittendum vinũ nouũ in vtres veteres, lex enim gratiæ, quæ tota ex nouitate vitæ, & morum reformatione constat, simul cũ conscientia peccatorum liuore obsita, & criminum fæcibus deturpata, diu permanere, & stabilem sedem habere nequit: cuius rei causa idem Dominus apud Ioannem ait. Quomodo potestis credere qui gloriam inuicem quæritis? Qua propter meritò SS. Patrũ testimonijs extat vera & approbata sententia, qui non benè viuit, nõ benè credit. Vnde Chrysost. Omnis qui malè agit, non verè credit. At Clemens Alexandrinus ait. Vitæ institutio apertè eos arguit, qui mandata nouerunt, talis enim sermo, talis & vita: Namq; sermo, vita, & fides ita mutuo connectuntur vt ex altera in alterius notitiam facilè deueniamus. Vnde quemadmodum ex vniuscuiusque sermone

Super Hier. lib. 4. c. 3.

Ephes. 5.

Sapient. 1.

Math. 9.

Cap. 5. & 2.

Hom. 27. in Ioannem.

Li. 8. stromatum.

mone quomodo viuat,ſic ex vitæ compoſitione,quomodo credat licet conijcere. Quare D. Auguſtinus effrænatos & impuros homines, diaboli antiſtites vocat,qui ventri & auaritiæ,quæ eſt idololatria ſeruiunt: quod adeo ipſe Auguſt. exagerauit, vt vtrum improbo catholico hæreticus, bonis tamen moribus præditus (ſi quis inueniri poteſt) præferendus ſit nec ne, palam dubitauerit. Vtrũ, inquit, catholicum peſsimis moribus, alicui hæretico, in cuius vita nihil præter id, quod hæreticus eſt, mali appareat, debeamus præponere, non audeo præcipitare ſententiam. Sed tamen cum hæreticorum vita plerumq; flagitioſa ſit, ex ea hæreticum hominem, & à vera fide alienum non obſcurè dignoſcere poſſumus: quod D. Bernardus teſtatur dum ait. Quod ſignum dabit, vt palam fiat peſsima hæreſis? hæc docta mentiri, non lingua tantum, ſed vita. Ideoq; ad intelligendum fidei noſtræ myſteria, eiſq; ſicut decet aſſentiendum, ſanctè & honeſtè viuere neceſſe eſt: neque enim quæ ad ſalutem noſtram ſpectāt, perſpicuè vnquam intelligemus, niſi abdicatis omnino criminibus, & eorum tenebris expulſis: quod in improbo Balaã cernere licet, qui vt Dei voluntatem agnoſceret, & populum benediceret, ad cui maledicendum euocatus venerat, ab iniquitate, & auaritia deſtitit, quo factum eſt vt eo ei tempore mentis oculi aperirentur: legimus enim in libro Numerorum, Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obſcuratus eſt oculus, dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius: ideoque mentis cæcitate depoſita, à Deo illuminatus ſecundum eius præceptum, & voluntatem populo bene-

Libr. 6. cōtra Donatiſtas. c. 8.

Lib. 5. de Bapt. cōtra Donatiſtas.

Sup Cāt. ſerm. 65.

Num. c. 24.

dicens clamabat. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel. Quare non incongruè D. Ambrosius duo assignat oculorum genera, alterum carnis, fidei alterum: huius autem tanta vis & virtus est, vt eo vsq; ad Christi diuinitatem ascendamus, diuinaq; mysteria, & beneplacita nobis liceat intelligere: quo etiam catholica Ecclesia sponsum suum Christum ita afficit, & ad se allicit, vt ab ea se victum & captum esse in canticis fateatur, dum dicit. Vulnerasti (seu vt habet alia litera) Excordasti cor meum in vno oculorum tuorum: fidei autẽ oculum vnum solum vocat, cũ tamen in vno quoq; nostrum carnis & animæ oculi reperiantur, quia dum in eandem rem pari consensione conformiter intendunt, dũ in eundem Deum pari desiderio anhelant, dum in propriã salutem prospiciũt, duo sunt numero, sed vnus officio. Sic sanè sancta Ecclesia duplicem etiã habet oculum, moralẽ scilicet & mysticum: mysticus oculus, inquit Ambros: „ acrior est, moralis autẽ dulcior: mysticus enim fidei oculus acutius & perspicacius Deum intuetur, moralis vero maiori dulcedine, & suauitate in ipsum tendit. Hi sanè sunt oculi, quos Propheta Dauid tanto mentis affectu à Deo efflagitabat, vt æternæ salutis mysteria cognosceret, & iuxta ea vitam suam moderaretur, & cõponeret: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: Hi sũt oculi quos Deus Paulo Apost. cõtulit, postquã ad Ananiæ accessum oculorum carnaliũ nebulæ, & præteritorum criminum squamæ ceciderunt, & sic vt Isidorus ait: „ Cecidit oculatus, & resurrexit obcæcatus, qui enim prius videns voce Domini stupefactus cecidit, postea cæcus inuentus est, sed tamen cæcus quantum

Lib. Examecon. c. 4.

Cant. c. 4.

Psal. 118.

ad corporis, sed diuinitus quo ad mentis oculos mira-
biliter illuminatus: & sic raptus vsque ad tertium cælum
audiuit arcana Dei, quæ in terris ad salutem æternam
consequendam hominibus prædicaret. Isti sunt oculi (ait »
D. Ambrosius) quibus Paulus cæpit videre æterna, vbi »
cæpit temporalia non videre. Denique qui Christum nõ »
videbat, priusquam oculos amitteret, vidit, cum dixit. »
Quis es Domine? Quid me vis facere? videbat enim eũ, «
cuius expectabat imperiũ. Quod autem reuera viderit, «
ipse Paulus testatur dum ait. Factum est autem reuertẽti «
mihi in Hieruralem, & oranti in tẽplo fieri me in stuporẽ Act. 22.
mentis, & videre illum dicentem mihi. Festina, & exi ve
lociter ex Hierusalem, quoniam non recipient testimo-
nium tuũ de me. Hi sunt oculi quos Dauid, nulla carna- «
lium oculorũ habita ratione, in Deum conijciens præ de «
siderij & amoris magnitudine suspirans, aiebat. Defece- Psal. 118.
runt oculi mei in salutare tuum, dicentes, quando conso
laberis me? Hi sunt oculi quibus Ecclesia nõ solum quid
sit credẽdum nos docet, sed etiam quam vitæ rationem
sequi debeamus ostendit: Moralem & mysticum oculũ »
habet Ecclesia: (inquit Ambros.) quia non solum mora- »
lium teneat disciplinam, sed etiam cælestis doceat scien »
tiam mysterij: hi sunt oculi, quorum puritate, & simplici Ex D. Hieronym. in Isai.
tate sponsus ductus sponsam suam Ecclesiam tantis lau- c. 1. super illud verbum.
dibus efferebat. Oculi tui columbarum: maximè enim Visio.
Deo placet puritas, & simplicitas morum, cũ puritate, & Cant. c. 4.
simplicitate fidei coniuncta, quæ quidẽ Christianæ chari
tatis initiũ, & veræ cũ Deo beneuolẽtiæ fundamentũ est:
dicente Osea. Spõsabo te mihi in fide, & cõfirmante Hie Cap. 2.
remia. Domine oculi tui respiciunt fidẽ, namq; in nostræ Cap. 5.
fidei

fidei & cònſcientiæ puritatē Deus Opt.Max. ſummo cū gaudio oculos collocare videtur, quorū defectū Corin-
2.Cor. c.11. thijs maximè Paulus timebat, dū dixit: Timeo aūt vos, ne
" ſicut Euā ſerpens ſeduxit, ita corrumpātur ſenſus veſtri.
Hi ſunt oculi quibus Didimus, quāuis corporaliter cęcus
" perſpicaciſsimè tamen altiſsima contemplabatur myſte
Ad Paulinā. ria, de eo namque ſic ait Hieronymus. Didimus meus
" oculos habens ſponſæ, & illa lumina, quæ in candentes
" ſegetes ſublimari Ieſus præcipit, procul altius intuetur,
" & antiquum nobis nomen reddidit, vt videns vocetur
Propheta: Hi ſunt oculi, quibus cæcus Iacob filio Ioſe-
Lib.1.de Abrahā, c.1. pho viſu præſtabat, quia vt D. Ambroſius ait. Quis melius videt, quam qui videt Chriſtum, aut quis poteſt di-
" cere oculis impeditum eum, qui videbat in Chriſto Ec-
" cleſiam refulgentem, ipſe enim Iacob dixit filijs ſuis: An
nunciabo vobis, quæ ventura ſint nouiſsimis diebus. Et ſic dum Iacob Ephraim natu minorē prius benedixit, ex oculorū defectu, erroreq; factum eſſe exiſtimauit Ioſeph, cumq; Manaſſem maiorem natu patri tangendum offer
" ret, ſpiritu prophetico, & acutiſsima oculorum acie in
" ventura mundi tempora protenſa, myſterio, non erro-
Gen.c.48. re ita factum fuiſſe Iacob docet: ſcio fili mi, ſcio, & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur, ſed frater eius minor, maior illo erit, & ſemen illius creſcet in gentes. Quod ſi oculi, quibus noſtræ ſalutis veritas perſpicitur, donum Ieſu ſunt, ſicut nos ſancti docent, & Prophetæ prædicauerunt, à quo illud dignius poſſumus efflagitare, niſi ab eodem Ieſu, accedendo ad eum, vt propoſita à nobis initio Dauidis verba docent, vt illuminemur: namque ſi ipſe eos nobis paternæ

pieta-

pietatis amore ductus non concesserit, à quo obtinebimus? si lippitudine laborauerint, quis eam depellet? si cæcitate, quisnam alius eos poterit aperire? ipse enim est, qui ignaris, & insipientibus Apostolis oculos aperuit, vt obscura quæq; diuinorum mysteriorum arcana intelligerent, & mundo palam facerent: ipse discipulos in Emaus euntes ita illuminauit, vt quem resurrexisse de- Lucæ 24.
sperabant, præsentem intuerentur, & agnoscerēt. Quid? si ipse nobis qui Christianæ militiæ nomen & cor dedimus, oculos non aperiret, quis nostrum mirabilia Dei intelligeret? quis Euangelij lucem, tametsi clara sit & manifesta reciperet, & amplecteretur? Vt ergo in hanc lucē apertis oculis respicere valeamus, tum externi, tum maxime interni mentis oculi acuendi sunt, & mundandi, & in lectionibus sacris & obsecrationibus pijs hæc vera Solis Iustitiæ lux ab eodem impensè postulanda est: sine qua etiam si diem vnum vel annum, vel duos aut plures vixistis, tandem aliquando ex vero cordis affectu, eam a Domino Deo efflagitate, quam puro corde flagitantibus concedere paratus est: quæ si eiusdem Dei singulari beneficio in animis vestris oriri cæperit, tum venialium festucam, tum mortalium criminum trabem, & grauem sarcinam à vobis pellere, & propulsare omni studio curate: firmiter tenentes, si corda vestra cæcitatis velamine tecta sint, nec Moysem, nec spiritū aliquem cælestē, (multominus humanum) illud à vobis auferre posse, nisi ipsum Iesum: stat enim vera Apostoli sententia. Vs- 2. Cor. 3.
que in hodiernum diem, idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum quoniam in Christo euacuatur, cum autem conuersi fuerint

ad

ad Dominum, auferetur velamen.

Conuertimini igitur ad Dominũ, qui velum cæcitatis vestræ depellet, quod quidem iam nunc neque scripturarum testimonia, nec Moysis faciem tegit, nam illa omnia vmbræ erant, quarum tenebræ, adueniente Euangelij vera luce, quam Christus in terris prædicauit, euanuerunt: ideoq; permittente sic Deo, (vt D. Thomas notauit) Moysis vultum, non verò Iudæorum, velatum fuisse legimus, quia tunc nõdum Messias venerat, & illa omnia futurorum erant vmbræ, & figuræ: at nunc post eius aduentum, velum illud positum est super oculos mentis vestræ, propter vestrorum cordium duritiem, & induratam pertinatiam, & scelerum effrænatam licentiam: Cuius rei causa D. Paulus super eos velum impositum esse dixit, & vt ostenderet etiã quam plurimos huius generis damnandos esse: Quum enim de cordis vestri cæcitate loquitur, tamquã de multis, dum autem vos in bonam frugem conuertendos dicit, vt significet quam pauci seruãdi sint, tãquam de vno aliquo loquitur, dum ait, Ad Rom. 11. vt Israel saluus fieret: verè enim (inquit Theodoretus) Affect. Græc. " in meridiana luce positi cæcutiunt, talpis similes effecti, " quæ quo magis lucescit, eo minus vident, quia terræ, & " peccato sunt affixi, & temporaliũ, & caducarum rerum Hom. de Epiphania Dñi. " desiderijs sunt irretiti. Et Eusebius Emissenus. Benè, in" quit, isti per illas aues significantur, quas dies excæcat, & " nox illuminat. Quapropter in vos ipsos, nõ verò in Deum, nec in sancti officij ministros retorquẽda est culpa, si tot charitatis & iustitiæ adhibitis remedijs, in vestra adhuc persistitis perfidia, & cæcitate: nãq; vt D. Aug. ait: Tract. 1. in Ioan. " Lux cælestis doctrinæ, eodem modo non credentibus,

atq; nobis fidelibus offertur, qui etiã aliquando in tenebris fuimus, & in his adhuc perseueraremus, nisi Omnipotẽtis Dei munere corda nostra diuinitus essent illuminata, vt exclusis ignorãtiæ tenebris, fidei verũ lumen reciperemus: ait enim Apost. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Si autem vestris criminibus implicati, adhuc in mentis cæcitate permanetis, iure timendum est, ne vestrorum errorum tenebræ ita densæ fiant, vt sicut Aegyptij proximum quemque sibi non agnoscebant, ita nec vos proximum quemq; charitate secundum legem Dei diligendum agnoscatis, sicut Iudæis hodie contingere videmus: illud enim fuit Aegyptijs exitialis vastationis certius signum, cum abscondente Moyse virgam, qua tot miracula, & prodigia effecerat, in tanta obscuritate positi remanserunt: vt, sicut diuinæ literæ testantur, se mutuò non agnoscerent, quamuis loco proximi vel etiam sanguine coniuncti essent, vt notauit Origenes. Vestris igitur cupiditatibus renunciate, libidinum accensas faces extinguite, ne his impulsi vitijs Susannæ libidinosos & impuros senes imitemini, qui iustitiæ solem nolentes aspicere, sed in terram oculos figentes, à nemine se videri arbitrabantur, cum tamen iustitiæ diuinæ oculos non euaderent. Vero igitur corde ad Deum conuertimini, nõ quidem timore diuitias, aut vitam amittendi (sicut plerumq; solet fieri) sed hoc vno intuitu, vt saluti animarum vestrarum consulatis, quæ omnibus mundi rebus præferẽda est: qui enim vitæ conditionem, quam amat, timore relinquit, non scelus relinquit, sed tegit, & ita August. ait: „Concupiscentiam tuã „timor non tollit, sed premit, quamquam qui timore pæ-

Ad Ephes. cap. 5.

Exod. 10.

Hom. in diuersa.

Daniel 13.

Serm. 19 de verbis Apost. videndus

 næ

idem sup Psal. 118 „ næ non cõcupiſcit, puto quia concupiſcit. Ex quo colligere meritò poſſumus, eum, qui pœnarum timore Iudaicæ perfidiæ renuntiat, eiuſdem adhuc amore, & deſiderio maximè teneri, quod quidem ipſe D. Auguſt. leonis
„ aut lupi exemplo ſic declarat. Qui timore reuocatur à
„ præda, & tamen lupus vadit, & lupus redit, prædam non rapuit, ſed malitiam non depoſuit: Namque dum lupus, aut paſtorum ſollicita vigilantia, aut canum latratu impeditus ouẽ rapere nõ potuit, prædam reliquit, non vero malitiã, & ſic cupiditate & rabie prædam inuaſit, tamquam lupus, & lupus eſſe nõn deſinit: quod ſi (quod raro accidit) lupi rapacitas in ouis manſuetudinem conuertatur, magno eſt miraculo reputãdum: Sic ſanè, ſi fortè cõtingat, vt aliquis timore adductus Chriſtianæ diſciplinæ ſubdatur, poſteaq; libẽti animo veritate perfecerit, quod timore inchoauit, id infinitæ Dei miſericordiæ, & beneficio, non vero humanis meritis tribuendum cenſet Au-
„ guſt. dum ait: Si fortaſſe ipſe lupus in ouem vertitur, fe-
„ cit hoc Dominus, & iuſtitia eius, & non tu.

Si igitur ſanctè viuere, & ſanctè de Deo loqui deſideratis, in primis Chriſtum verum Meſsiam, ac omnium Dominum agnoſcatis oportet: ſi enim ad benè loquendũ fide opus eſt, quanto magis ad benè agendum, dicente Dauid: Credidi propter quod locutus sũ: vbi Ambro-
Lib. 1. in Luc. c. 10 „ ſius notauit: prius credidit, vt loqui poſſet: immò ne etiã veſtra grauiſsima ſcelera ſint in cauſa, quo de venia obtinenda (quam certè non meremini) deſperetis, fides etiã
Lib. 6. in Lucam. „ vobis neceſſaria eſt. Idem enim Ambroſius ait: Hoc fidei
„ & pudoris eſt agnoſcere veritatem, & non deſperare ſalutem; peccata autem veſtra, quorum vos maximè pu-

dere

dere debet, vobis ſemper ante oculos obuerſentur, vt quam grauia extiterint agnoſcatis: quoniam ſicut Areopagita teſtatur, vt ſupernaturalis lux recipiatur, ante omnia ſuimetipſius, & ſuorum criminum cognitio vnicuiq; præſtatur, quæ lachrymis & ſingultibus abluuntur, quos quidem in vobis non video, cum tamen delictorum pænitudinis potiſsimum ſint inditium. Quamobrem omnes nos, & præcipuè vos ò publici peccatores venite adoremus Dominum, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, & vt ad pedes Ieſu venire poſsimus, genua flectentes coram ipſo Ieſu anteactæ vitæ crimina ploremus, vitæ correctionem firmiter proponentes, hic eſt enim ille Deus, qui vos creauit, & proprio redemit ſanguine, temporalemq; vitam perdidit, ne vos amitteretis æternam, & ſic vobis viua fide, & nouis moribus ad eum accedentibus (vt ſpero) hìc dabit gratiam, illic verò gloriam. Ad quam nos perducat. Amen.

In Epiſt. ad Titũ.

MANUELE
BIBLIOTECA